

nis, ac desperatæ fortitudinis laudem, fructum retulere : nam complures cæsi, inter quos Macicaus præfectus; multi vulnerati; reliqui in oppidum sese recipientes salutem quæsiwere : nec multo post pestilentia oborta, funeribus exhauriri propugnatorum reliquiæ cœpere. His de causis Hispani rerum omnium desperatione adacti cum navigia, quæ frumentum e Sicilia ad levandam inopiam importaverant, Coronen appulissent, asportatis tormentis, cum Græcis naves ingressi, vacuum, ac desolatam urbem hostibus reliquere. Constans opinio fuit, Cæsaris jussu Hispanos Corone discessisse; cum tanti eam urbem esse non arbitraretur, ut magnos, ac perpetuos sumptus, qui, undique circumsepta ab hostibus regione, insumendi forent, æquare posset.

1534

*Corone ab
Hispanis
relieta.*

Chariadeno interim cum classe circiter centum triremium, aliisque compluribus navigiis Hellesponto egresso, cum adhuc incertum esset, quonam suæ navigationis cursum intenderet, Senatus Vincentio Capellio, classis imperatori, qui nuper urbe exierat, mandavit, ut si Turcæ sinui Adriatico appropinquarent, ipse cum classe in intima se recipiens, custodiendo sinui intensius vacaret. At Chariadenus in mare Tyrrhenum deflectens, Messanæ fretum trajiciens, Mamertinos inopinato adventu adeo perterrefecit, ut ad arma undique conclamantes suis rebus magno opere diffiderent : mox Hipponiatem sinum prætervectus, in Brutiorum litoribus Sancti Lucidii oppidum adortus, omnium incolarum cæde facta, barbara crudelitate diripuit. Cum vero Capreas supra Neapolim pervenisset, universæ maritimæ oræ inusitato aspectu tantum terrorem injecit, ut plerique affirmarint, Chariadenum, militibus in terram expositis, consternatione dejectos, ac pavore prostratos Neapolitanos haud difficulter opprimere potuisse. Eodem cursu Prochyten, inde Cajetam delatus, Fundis, Tarracina, atque eo litorum tractu cædibus, incendiis, captivitatibus deformato, cum barbarorum sævientium strages aucta, agrestium ingenti trepidatione, Romam delata fuisset, urbem insolitus adeo timor invasit, ut neque ad expedienda consilia, neque ad arma capienda satis animi, aut roboris in incondita multitudine, vel in paucis militibus, qui urbis custodiæ præerant, superesset, Clemente ea tempestate morbo implicito, Cardinalibus inusitato pavore perculsis, ut vix tan-

*Vincentius
Capellius
ad classis
imperium
redit.
Chariadeni
in mare
Tyrrhenum
navigatio
& direptio-
nes.*

*Romane
Urbi ob
Chariadeni
classis tre-
pidatio.*